Sancofatenimus hodiernus, praeter tres fortè de gratia articulos, non libenter reijcere possit. Quid vero fiet plurimis scriptaris, quae de praedestinatione, gratia, perseverantia sanctorum longè strictiùs loquuntur? quid consolatione piorum exinde pendente? Disputationes verò Scholarum prorsum ibunt? Quomodo cum Ecclesiis, cum pace stabunt? Cautio de non invehendis ulterioribus absurdis, est torrens de monte ruens. Consilium itaque de partium concordia speciosum, insidiosum, quo Orthodoxam veritatem ab indifferentia, ne plus dicam, obscurari, vel opprimi necesse erit. Quid verò Belgium respondebit Deo, si quam bello eis paravit servavit, ipsi pace oppresserint? unum non displicet, quod causam Dei sui à sua separat. Quid enim Vertumnus ille ab annis XIV in capite gerat, moliatur, fatis mundo praedixit, licet in varias sese formas doctus sit. Eum igitur homi, nem, dum alienum à se fecerint, de tranquillitate Belgicae Ecclesiae restituenda, controversiis componendis, bene sperare non desinam. Deum toto pectore oro, ut illustrissimos Belgii Ordines spiritu prudentiae, constantiae gubernet: Ecclesiarum, scholarum Doctores verbo Gratiae dirigat, ut veritatem et pacem diligant omnes: Cujus te cum tuis, vir Amplissime, protectioni supplex commendo. Vale et salve. 26. Maij 1613.

D. Davidi Pareo 150.
Salutem

Magnum dolorem cepi, vir clarissime, Domine et frater honorande, ex Albingi nostri literis ondig quartas mihi redditis, quibus inter coetera significat se intellexisse, nihil prorsus à multis jam mensibus literarum te à me accepisse. Quod eò iniquiùs tuli, quò tutiùs meo olim auditori, istuc iter habenti, quam tabellario

meas literas commendatas arbitrabar; ille
verò cum Spartam pædagogicam nactus Actis subscri-
psisset, per Epistolam mihi significavit, se meas ad
te rectissimè curasse, cum diuturnum tuum silen-
tium miratus, superiore ad ipsum scripsissem.
Tu igitur, quæ est æquitas tua, haud patieris alie-
nam sive negligentiam, sive fraudem, sanctè illi,
quam mihi tecum esse voluisti, amicitiæ fraudi esse;
à me quoque dabitur opera, ut quicquid hic vel aliena
culpâ peccatum, frequentiore posthac scriptione
sarciatur. Cæterùm ex D. Attingo cognoscere potui-
sti, quæ de infelici illo certamine ad ipsum perscri-
pseram. Habita est superiore Mense Synodus Pro-
vincialis ad Lutetiam. Ea Molinæi, cujus unius ferè
nutu, tanquam ὄργανον νευρόσπαστον circumagitur,
patrocinium ita suscepit, ut litem planè suam fe-
cerit. Ejus et causam et actionis modum plenis buc-
cis collaudavit, decretoque Actis Synodicis inserto,
testata est, libellum meum, quamvis ne lectum quidē,
nedum expensum, aut cum adversæ partis scriptis colla-
tum, Ecclesiarum Gallicarum tum doctrinæ tum paci
inimicissimum esse, nec ipsemet Princeps meus
per Secretarium suum, cum fiduciariis literis eò
missum, impetrare potuit ab egregiis illis Patri-
bus, ut libellus ille publicè recitaretur, errores
demonstrarentur, et aliquis saltem juris ordo in
speciem servaretur: ne hoc quidem, ut Molinæus
multa sibi à me affingi questus, juberetur
conficere calumniarum indiculum, cum ego pol-
licitus essem, me tum opiniones, tum earum pro-
bationes, quas libellus meus ei tribuit, sigillatim
demonstraturum ex Parisiensis disputationis Actis

ex libello Molinari ad Regem Britanniæ misso: et aliisq-
quidam ejusdem autographis, quæ penes me habeo. ille
verò confusiones Amore et Nestorianismi, et calu-
mniæ dissimulasse contentus, ad alia scripta vulgò pro-
stantia, et conciones in Ecclesia sua habitas, provocat,
quasi verò aut in illis, quæ ab hoc argumento alie-
nissima sunt, nostra controversia esse dijudicanda.
Non sine jucundo Pontificiorum spectaculo, non sine
magno infirmorum fratrum offendiculo, imò nec sine
manifesti schismatis periculo hujus contentionis
funis ducitur, minore tamen scelere scandalum ali-
enâ culpâ oritur, quàm nostrâ, veritas deseritur.
Veruntamen nequid erres, non à religionis studio prima
hujus mali labes orta: politicæ in Gallicis Ecclesiis fa-
ctiones hanc nobis tempestatem excitarunt. Erant
demagogi quidam, quorum tribunitiis concionibus
commota plebs in Septimania, et Aquitaniæ partibus,
ubi florentiores nostrorum opes, et rebus novandis
major opportunitas, consilia agitabat valdè cru-
da, minimèq; ad religionis salem percocta, de pro-
ferendis, sub impubere Rege, libertatis nostræ fini-
bus, novisq; edictis ad extendendas fimbrias, non
tam per libellos supplices impetrandis, quàm osten-
tato terrore extorquentis: quas molitiones do-
ctrinæ, quam profitemur, parum decoras aut
consentaneas, et Jesuitis, quàm nostris hominibus
digniores, dum pro eâ, quâ pollet, et prudentiâ
et authoritate, discussit Princeps meus, immane
quantam odii invidiæq; molem sibi conflavit: unde
factum ut clauso ad Theologica controversiæ
examen oculo, illa Cyclopum turba caeco impetu,
nunc in Principem, nunc in me irruat, alterumq;

per alteriq latus confessum est. Molinaeus Genevensium de hoc negotio judicium insuper habet, transmarino calculo elatq et inflatus, et Episcopalis patrocinii (quibq artibus id eblanditq sit, non dico) imposterum certq. Laborantem et iniquissimis praejudiciis pene oppressam veritatem cum sublevari mecum optarent boni omnes, existimavi ego nihil ab officio, aut amicitia nostra alienum me facturum, si eam tuarum quoq literarum testimonio recreare, et jacentem erigere conarer: quas Principi meo ideo exhibui, ne suspicionis, quam aemuli mei instillare ipsi annitebantur, me neminem sententiae meae adstipulatorem habere, fibra aliqua animo ipsius haereret. Nunquam adducar, ut credam, poenituisse te dati abs te veritati testimonii, vetum quidem cum Britanno id minime gratum fuisse resciviisti: Etenim qui cujusvis terreni Principis gratiam, Regis Regum gratiae posthabeas, non tam ut olim nescio quis, senectute fretus, quam officii conscientia, et vocationis stimulis adactus, nulli dubito. Ideoq culpam hac in re neq excusare, neq agnoscere sustineo, sed potius abs te, tum a Reverendis Dnn. collegis tuis obnixe peto, ut quantum quisq vel publice vel privatim valet, id omne ad averruncandum, qui in Ecclesiis Gallicis paulatim innotescit, incautisq obrepit, Eutychianismum tempestive conferat. Quo officio non tam mihi, quam ipsi veritati graviter jam periclitanti, praestito, vix aliquid gratius Deo hoc quidem tempore esse, vel me tacente, videt. Me quidem a suscepto Ὀρθοδοξίας patrocinio nullus periculi metus, nullus hominis respectus deterrebit, qui vitam potius, quam fidem, fideiq vindicias abjiciam.

Bene vale, vir Clarissime, Domine et frater honorande. Sedani 4. Maij 1613.

Tui studiosissimus
Daniel Tilenus.

137.

D. Jacobo Cappello Theologo et Chronologo Sedanensi

P. Pareus

Salutem. Recte facis, mi frater, quod superioris ὑποζήζεως memoriam deles tam insigni, tum scientiae ac diligentiae, tum benevolentiae erga me tuae monumento ad me misso, quanti me abs te longissime separatum fatear, ita nihil mihi fuit gratius. Erat quidem illa de argumento pepta obscuro, cujus palma in medio posita: duratione videlicet temporis a primo creationis ~~initio~~ puncto usque ad Servatoris Christi natales, in qua eruenda ego saltem παρέργως, ex professionis meae objecto proprio, hoc est historia sacra, aliquid studii posui. ab eodem vero annis jam aliquot animum ad alia magis necessaria traducere coactus fui. Tua Chronologia temporis astronomicum a principio mundi ad natales Augusti exactam beneficio motuum coelestium nobis prodit. Idem promisit Chronologia Calvisii, et ante hunc Buntingii, necnon Mercatoris. Priores duos tu aemulos habiturus es, cum ab omnibus dissideas. Quid mihi de vestro conatu videatur, explicavi olim in prooemio Synopseos Chronologiae sacrae, a Calvisii cavillis vindicatae his verbis, quae adscribam:

"Quid ergo? Primos omnium labores in hoc genere verorum complector: supercilium et audaciam aliquorum nemo bonus probavit. Tempus Astronomicum a primo creationis puncto ad principium aerae Christi, ne exactum qui se dare posse promittunt favore mihi digni videntur magis quam laude, quia majus quid ingenio humano moliuntur. Nisi forte haec tria nobis praestare possint. I. Primum punctum motuum a priori certum dare. II. Inde a primo puncto ad